

lantiam, & imminetia prospiceremus pericula, & ad eadem mature depellenda, ac dissipanda de opportunis remediis provideremus, id præ primis Paternæ Nobis curæ esse voluerimus, ut qui in commissa Nobis Archidiecepsi Domini vice fungimur, ejusdem non tantum ipsi mandata, quantum Deo largiente possumus, sedulo expleremus, verum & ad id faciendum subditos nostros verbis, & exemplis affido cohortaremur, ac concreditas Nobis Oviculas sub unius Pastoris Ovili jugiter contineremus, & pabulo salutaris doctrinæ veræque Fidei incessanter reficeremus: majori tamen animi impulsu illuc urgeri credimus, totamque mentis nostræ aciem admovendam esse putavimus, ut hæresi tot Archidiecepsos nostræ locis jam dudum fatali, quæque per duo sæcula & ultramiseret meminisse, tam nefande in Provinciam nostram incubuit, tamque altas defixit radices, perpetuum indiceremus bellum, certo autumantes exitio proximos fore Principes illos qui Hæreticos impune tolerant, & causam Religionis, quæ prorogata sicuti est Reipublicæ vinculum, ita neglecta ejusdem dissolutio, parum curant, rati que tolerare similes, esse in sinu angues fovere. Convivere vero ex futuræ conversionis spe, esse manifeste Republicam concutere, & commovere. Suadent hæc priorum sæculorum monumenta, docentur vero novissima, causam Religionis ita esse cum illa status conjunctam, ut illa turbata, & hanc turbari, & mutari fiat necesse, cadere vero Regna, & Imperantes, ubi Religione illa hi cura illius deficiunt, traxit namque semper est trahet adhuc Republicam secum Religio neglecta aut prolapsa, nec enim esse poterit idem coercendi Populi frenum, ubi non est idem Numinis Amor, idem metus, idemque cultus libertatem credendi, licentia morum, hanc Civium discordia subsequente. Quare ponderantes, quod, & si sperante Europa tota indictum certamen, in Comitatum se exhibentibus Coelitem auxilium, pulvis viginti, & amplius millibus Lutheri, aliorumque hæresiarum peste simul, & exitio involutorum, adhibitisque tot aliis oppugnanda hæresi opportunissimis remediis, decretis, inquisitionibus, & armis, rite perfecerimus, victoriam subsecutis auspiciis, & status nostri incrementis, tamen quæ undequaque in Provincia Nostra hæcenus erat disseminata hæresis, continuo repullulare, & amputatis licet Capitibus, novas identidem vires reassumere seu attentet, seu certo sit attentatura, more scilicet superiorum temporum, quæ hostes nostri (hæreticos intelligimus) latius semper grassabantur, quia dumtaxat fugati, deleti nunquam, nisi, & de remediis solliciti fuerimus, ut & modicum fermentum tollatur, ne universam massam reinterato corrumpat, neve ex levi flammula novi orientur Rogi, Divina Nemesis universos puniente propter unicum hæreticum impune toleratum. Hinc est, quod nostro, & majorum nostrorum malo

docti, tuto opinantes, indignum esse Catholicum Principem Sacrilegis imperare, atque expavescentes prænuncium illud Divini Numinis oraculum. Quia non custodivisti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandavi tibi, scindam Regnum tuum a te, & illud dabo servo tuo, postquam pro pastoralis sollicitudine nostra diu multumque exquisivimus, quibus mediis magis, ut hæresis penitus extirpetur neve caput suum herculeum futuris temporibus unquam amplius attollat, Nobis, & Ecclesiæ nostræ possit esse consultum, unum demum, idque tutissimum nobis inspiravit Divinum Numen, si nimium per tot annos, seu aliunde huc evocatos, seu de novo a nobis ablegatos, ad perpetua futura tempora stabiliremus Apostolicos Missionarios, qui incessanter de Præfectura ad Præfecturam, de quarterio ad quarterium, de loco ad locum, de Domo ad Domum excurrentes, rudes in rebus Fidei instruant, in hæreticos, vel de hæresi suspectos acriter, & alacriter inquireant, neve dum evellitur zizania, eradicetur triticum, vel ea relicta, & non evulsa, & hoc degeneret, longa demum experientia addicant unam ab alio secernere, & segregare, & cognoscant tandem ficta religione piorum mentes ludentes, notosque habeant, qui alienas, non suas representantes personas, faciunt, quod non sentiunt, sentiunt, quod non dicunt, & volunt apparere, quod esse nolunt, experianturque postremo, & sibi habeant a nobis persuasum, cito, ubi non eradicatur pestis hujus radix, totam plebem certo certius iterum, iterumque contaminatam iri, quæque nos in tanta pastoralis animi nostri amaritudine fumus proli dolor! experti, & inexpertos Posteros indubitanter manere.

Quia porro, sicut in hujus curæ partem Sacras Religiones in Archidiecepsi nostra diu jam stabilitas evocandas credidimus, ita & æquissimum judicavimus, ut antiquissimo Ordini Sancti Benedicti, a quo sicut universæ prope Germaniæ, ita singulariter Provincie huic nostræ veræ fidei lumen ante complura jam sæcula, & ad ipsa Archiepiscopatus nostri initia illatum est, atque assiduo tum probitatis, cum, & doctrinæ fulgore coruscavit, id pastoralis officii genus eo demandaremus libentius, quo magis ipsum Sacrum Ordinem, ac præcipue Universitatem Nostram eidem commissam, clementissima inclinatione nunquam non profecuti ad ipsum incessanter fovendum, & gratiarum nostrarum favoribus prosequendum tanto provocamur ardentius, quanto frequentius evolimus flores illos honoris, & honestatis fructus, qui eorum sudore hunc nostrum plantationum hortum irrigante, ubertim succreverunt.

Noverit ea propter præsens ætas, & futura, quod Venerabilium in Christo honorabilium Nobis dilectorum Abbatum præfati Universitatis Nostræ Nobis per omnia subiectæ Confederationum precibus, operam suam, omnisque promptitudinis

dinis obsequium, non sine nostro solatio, quod ex zelo eorum concepimus, offerentium, ac humiliter supplicantium, ut, & ipsi in societatem tam salutaris hujus Nostris operis admittantur, inque tam gloriosi laboris participium possit venire, clementer annuentes, habito desuper Venerabilis Nostræ Capituli consilio, decrevimus, prout tenore præsentium auctoritate nostra Archiepiscopali, & Principali decernimus, & statuimus, prærelatis Universitati nostræ Confederatis Abbatibus unam intra Pongovia Montes ex Missionibus nostris perpetuis, sub legibus, & conditionibus infra scriptis, & quidem in loco Schvazzach dicto, committere, perpetuoque firmare Schvazzachii dicimus, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret, & quæ Schvazzachii per rustico heretica seditionis comita vincebat hæresis, ibi quoque vinceretur.

Leges servande.

§. 13. Primo. Itaque propriis eorum sumptibus, & expensis in mox dicto Schvazzachii loco præfati Venerabiles Confederati Abbates ædificari curabunt Missionis Domum, seu Hospitium quatuor Patrum Missionariorum habitatione congruum, & aptum, quatuor nimirum pro his instructum cubilibus duobus pro hospitibus, uno pro infirmis, aliisque pro famulis, præter Refectorium, culinam cum penu, Cellam vinariam, aliudque cubile Bibliothecæ inserviturum cum hortulo, stabulo, ac fenile, ultra vero ædificium hoc extendi, ampliari, seu in grandiore formam nec extrui, nec redigi possit.

Secundo. Ædificabunt pariter expensis, ut supra, Sacellum, vel Ecclesiam ad plus tribus Altaribus provisam Beatissime Virginis sine labe conceptæ dicendam, præter Sacristiam necessaria Suppellectili decenter instructam, summa Florenorum ter mille dotandam.

Tertio. Sufentandis quatuor Patribus Missionariis, horumque famulis assignabunt Capitale Florenorum triginta millium, una cum Ecclesiæ Dote mox dicta, penes tuta loca ad quincunces usuras, si haberi poterunt, in census elocandum ab omni decimatione, steura, aliove quocumque excogitabili onere reali, personali, vel mixto, semper, & ubique immune.

Quarto. Numerus Missionariorum sit semper, & perpetuis futuris temporibus quaternus: ex quibus septidici Venerabiles Abbates unum pro Domo, & Missionis Superiorem modis, & formis, quibus hæcenus in nominandis Professoribus hujus Universitatis nostræ legitime usi sunt, semper designabunt, designatum vero ante triennium lapsum non nisi nobis, vel Successoribus nostris annuentibus, amovebunt, & qui quaternarius numerus sine expresso nostro Successorumque nostrorum, ac Venerabilis Capituli nostri consensu nullis unquam temporibus augeri, nec minui possit.

Quinto. Erunt vero quatuor illi Missionarii, vel a Summo Pontifice, vel a Sacra Congregatione de Propaganda Fide approbati, idest necessariis ad Missiones

Apostolicas privilegiis a S. Sede vel ab eo, cui talis delegabitur facultas, instructi.

Sexto. Præsentabuntur autem nobis cum primi, cum & his successivis temporibus subrogandi forma mox supra articulo quarto præscripta, & ubi semel fuerint ad Missiones nostras Salisburgenfes delecti, & ablegati, atque a nobis recepti, & approbati, integram memoratis Abbatibus haud esto, sive omnes, sive singulos a Missionis Domo, & officio remove, nisi ubi primi Patres primum triennium ex integro absolverint; Secuturis vero annis, quilibet Missionarius in individuo licentiam abeundi a nobis facile obtinebit, ita tamen, ut subrogatio singulis annis singulariter fiat, eo nimirum ordine observato, ut semper vel unus saltem adsit, qui jam per integrum triennium Missionarii in Domo prædicta Schvazzachii exercuerit munus, notos habeat Subditorum mores, sit in re Missionum practicus, potiusque instruere noviter advenientes.

Septimo. Erunt porro in omne ævum tum Missionarii, cum, & Domus Missionis quoad ea, quæ Missionis munus concernunt, immediate, & unice nostris, nostrorumque Successorum mandatis, quoad disciplinam Monasticam vero, atque Domus œconomicam directionem, hujus pro tempore Superiori subiecti, visitatione illius tamen antedictis Abbatibus modis, & formis, quibus hæcenus in visitanda hac nostra Universitate legitime usi sunt, concessa, nobis de cetero, & Successoribus nostris sine ulla contradictione præstantes, & omnia ea adimplentes, ad quæ Regulares juxta præscriptum Sacri Concilii Tridentini, nostrarumque Constitutionum Synodaliū, & Provincialium Ordinariis locorum alias tenentur, sicque salva in hac Missionis Domo, & Missionarios ibidem existentes, Diocesana, & Ordinaria nostra jurisdictione, necnon jure Principatus terræ, & Advocatiæ, sic verumtamen ut nobis, & Successoribus nostris dumtaxat etiam quoad ista, uti præmissum, & unice & immediate semper subiaceant.

Octavo. Designamus autem ipsis private ad peragendum Missionis Apostolicæ munus integras Præfecturas ad S. Joannem, ad S. Vitum, & Goldegg cum Prætoris Gastein, Grosarl, & Wagrain, quæ hæc omnes late patent, quoad temporalem per nos ipsos Præfectis nostris delegatam jurisdictionem.

Nono. Et in quibus ipsorum Missionariorum officium finis, & præcipua, imo unica cura erit, incessanter de loco ad locum, & si necesse fuerit visum, etiam de Domo ad Domum excurrere, & cathedizando, Missionibus continuo vacare, Rudes in Doctrina Christiana instruere, Dubitantes ad veritatis viam reducere, & in hac confirmare, in hæreticos, vel de hæresi suspectos, horum Consultores, Factores, Receptatores, librorum A Catholicorum detentores, vel detentorum conscios, & non revelantes, eos in Provinciam nostram ferentes, vel intrudentes, eorumque Auxi-

Auxiliatores, consocios, seu Participes inquirere, hosque, & alios hujusmodi farinæ homines Nobis, vel cui per nos, & Successores nostros, demandabitur, sine aliqua personarum acceptatione omni sepositio humano affectu, spretisque intercessionibus quibuscumque denunciare, Verbum divinum, & Fidei Dogmata ubivis, & etiam ex Cathedra, sic tamen, ut Ordinariorum non disturbentur Ecclesiasticæ functiones, intra ipsis designatum districtum tradere: Sic & Pœnitentiæ Sacramentum (sola dempta Confessione Paschali, si locorum Curiones ultro non annuerent) Sacrosanctam vero Eucharistiam in proprio, vel tantum Missionis Sacello, alibi vero non nisi, quam accedente ipsorum Curionum assensu administrare, item egris, & moribundis solatium cum auxilio impendere, aliisque peragere omnia, quæ individuum Missionarii Apostolici exigit munus, Juris sepulture, aliisque quocumque Parochiali semper, & ubique excepto.

Decimo. Teneantur pariter in vitam, & mores non modo subditorum ipsis quoad Missionis Ministerium commissorum, sed & eorum, quibus ipsi subditi intra designatum districtum ex demandata a Nobis jurisdictione subsunt, sedulo invigilare, datoque defectu Religionis directæ, vel indirecte pernicioso, si fraterna admonitio non tollat Nobis, & Successoribus nostris ad proprias manus deferre.

Undecimo. Quapropter presentabuntur Nobis viri cum scientiâ, tum & vitæ sanctimonia clari, simplicitatem Columbæ simul, & astutiam serpentis habentes, ut virtute, & fortitudine præditi valeant distrumpere hominum iniquitates, & bene cordati non extimescant faciem potentis, sint justî, incorrupti, integri, suaves, & infimul severi, graves, sagaces, cum in Polemica, tum & in his, quæ ad notitiam promovendæ hæreticis Inquisitionis conducunt, bene versati, ad labores nati, semper, & ubique inhiantes animarum salutis, pro certo demum aliorum periculis habentes, turbare potius male concessâ, quam ut reddantur errabundi hæretici conventia, nec flecti, nec emolliri.

Duodecimo. Hinc etiam, & ut vel eo magis omnis tollatur humani affectus occasio, vetitum sit Missionariis ipsis a Subditis quoad Missionis munus eis subiectis pro Missis, Eleemosynas, vel & de cetero munera aliqua recipere, forent hæc licet esculenta, vel poculenta, modici etiam num valoris, atque abstinebunt ab omnibus comestationibus cum illis, & quibus Missionariis insuper fas haud erit sub quocumque excogitando prætextu literas docere superioris vel primæ, seu inferioris classis, unice Missionis muneri intra ipsis designatum districtum semper incumbentes, quem egredi haud valeant a Nobis, vel Successoribus nostris prævia non habita licentia, hæc eis verumtamen non nisi ex causa urgente, deneganda.

Decimotertio. Licet porro Missionem hanc Benediclinam in sæpe fato loco Sch

warzach in perpetuum stabilire intendimus & vigore presentium stabilimus, privative quoad omnes, quocumque privilegii omnibus, prærogativis, & iuribus, hætenus per Prædecesores nostros huic nostræ Universitati concessis, hæc nostris, quatenus præmissis, & infra dicendis legibus, & conditionibus non repugnant, condecoratam volumus, & illi pariter declaramus, liberum tamen semper Nobis, & Successoribus nostris esse pronunciamus, alterius etiam Ordinis Missionarios Apostolicos in districtum Missioni Benediclinæ supra designatum ad tempus mittere, ipsos Missionarios Benediclinos vero alibi, & extra illum, ad Missionis munus, & pariter ad tempus tantum ablegare, fundatione Domus Benediclinæ præmissæ semper privative salva, suoque in robore firma.

Decimoquarto. Ne vero Patres Missionarii temporalibus curis impliciti ab Apostolico munere suo impediuntur, neve secularibus graves, & odiosi fiant, lex fundationis certa, firmaque esto, nec ipsos, nec Missionis Hospitium, stabilia bona, vel quæ sub horum nomine veniunt, sive per actus inter vivos, sive per ultimam voluntatem intra Provinciam Nostram acquirere, vel quocumque demum prætextando titulo acquisita, citra Nostrum, vel Successorum nostrorum, atque venerabilis nostri Capituli expresso consensu retinere posse; quod si contra hæc legem futuris unquam temporibus actum fuerit, in arbitrio Nostro erit, & Successorum nostrorum, vel etiam antelaudati venerabilis Capituli nostri de bonis ipsis emptis, acquisitis, donatis, relictis, aliove quocumque titulo, & modo ad ipsos, vel ad Missionis Domum perventis, pro libito, & auctoritate Principis Terræ, atque in vim legis, pactique presentis dantis causam fundationi, & sine qua hæc neutiquam fuisset concessâ, pleno jure disponendi, tollendi, & incamerandi, Domus Superiore adstricto ad singulis annis ratiocinia Præsidi, & Assistentibus hujus nostræ universitatis, ubi hæc visitatur, vel si visitatio non haberetur, ejusdem Rectori reddendi, qui Nobis, & Successoribus nostris teneantur de super accuratam dare relationem, & quibus de redditibus, si qui super remanentes extabunt, fas sit, pro exigentia, & congruitate disponendi, hosque ubi necessitas vel utilitas magis exegerit, applicandi.

Decimoquinto. Ratificamus verumtamen, & approbamus per ipsos venerabiles Abbates sub spe clementissimi nostri rati, in supputationem summæ supra pro Fundatione designatæ Fl. 30000 = factam pro faciliiori Patrum Missionariorum sustentatione emptionem ejusdem Prædii in Præfectura nostra Goldegg siti vulgo das Uhrfahrlehen uncupatum cum huic incorporato prædio Ltbenfeld dicto, & alterius præmissi adjacentis fundi Fleidten agnominati sub Præfectura nostra S. Joannis existentis, quæque prædia, & si hæc juris directorii Cameræ nostræ esse, omnibusque angariis, & perangariis, stauris, contributionibus, aliisque

que oneribus communalibus, sicut alia omnia prædia rustica hætenus subiecta fuisset, dignoscantur, ex speciali tamen nostra clementia, & pro singulari, quo in S. Benedicti Ordinem ferimur, amore, & affectu, accedente venerabilis nostri Capituli assensu ab omni dominio directo, aliisque quibuscumque oneribus, angariis, perangariis, decimationibus, stauris, contributionibus communalibus, Provincialibus, vel militaribus perpetuis futuris temporibus, ac donec, & usquequo apud ipsam Missionis Benediclinæ Domum permanent, deque hujus erunt dominio, & non aliter &c. libera, & immunia penitus declaramus, & ut libera, & allodialia haberi volumus, & mandamus, ea verumtamen lege, & conditione, ut e contra prædia ipsa, quam conductores eorum, Coloni, Inquilini, Laboratores, Famili, & quæcumque aliæ Personæ Sæculares nulla penitus excepta, quæ in futurum habitabunt, vel operabuntur in prædiis præmemoratis, quoad Jurisdictionem omnem tum Criminalem, cum & Civilem, nulla penitus, penitusque dempta, libere jurisdictioni Præfectorum nostrorum, ut in antea subjaceant, quodque etiam ad famulitium laicum ipsorummet Missionariorum, seu Domus Missionis claustra fuerit inventus, ab intra vero sic, ut facta in Civilibus, vel Criminalibus causis pœnam Sanguinis non inferentibus, urbana apud Superiorem Missionis Domus requisitione hic comparationem personalem coram Judice Sæculari, Laicis sibi Domui Missionis, vel Missionariis famulantibus demandare. Si vero aliquis ex istis intra dictæ Domus claustra moreretur, obsequationem, & Inventarium Curia Sæculari sine contradictione aliqua, cumulative cum ipso Domus Superiore permittere sit obstrictus.

Decimo Sexto: Quod si finaliter sæperelati Venerabiles confederati Abbates, eorum Ordo Missionis Domus, vel & Missionarii ipsi, hujus Universitatis nostræ Præsides, & Assistentibus scientibus, & absque mora non obstantibus perpetuis futuris temporibus adversus prædictas leges, conditiones, & pacta quidquam sive per se, vel per alios per recursum, per dispensationem, per privilegia latas, vel serendas in contrarium Sanctiones, seu & demum per aliam quancumque viam, quæ posset excogitari, de facto, vel de jure attentare, salubremve hanc intentionem nostram invertere, modificare, vel aliter huic quoquo demum modo derogare præsumperint, aut vero in adimplendis ex assensu omnibus præscriptis negligentes, incurii, segnesve forent futuri, noverint illi Omnipotenti Deo, Nobis, Successoribus nostris, & venerabili nostro Capitulo strictissimam rationem reddituri, seque indignationem nostram, Successorum nostrorum, & præfati Venerabilis nostri Capituli incururos, sine quorum, & hujus expresso assensu, præmissis legibus, pactis, & conditionibus, nemo quancumque etiam auctoritate præ-

fulgeat, unquam poterit derogare, siquidem derogationem aliquam, modificationem, vel commutationem hujus piæ intentionis nostræ non impetrandi, aut aliter per se, vel alios quidquam in contrarium unquam attentandi; quin potius vero prædicta omnia, & singula perpetuis futuris temporibus pro posse eorum fideliter, & jugiter adimplendi. Præsides, & Assistentibus prædictæ Universitatis nostræ, proprio, & omnium confederatorum venerabilium Abbatum nomine datis in id, & nobis extradictis solemnibus Reverfalibus, bona fide promiserunt.

In quorum omnium fidem, & robur, interveniente venerabilis nostri Capituli assensu, hæc fieri, atque mox dicto Præsidi, & Assistentibus extradi jussimus, subscriptione Nostra, & appensione majoris nostri Sigilli firmatas: Quæ dabantur Salisburgi Metropoli nostra hæc die 3. mensis Decembris anni 1736.

§. 14. Nos quoque Dei gratia Andreas Jacobus Comes de Dietrichstein Præpositus, & Archipresbyter, Leopoldus Ernestus L. B. de Firmian, divina pariter gratia Decanus, Franciscus Maximilianus Comes de Liechtenstein Senior, totumque Capitulum Metropolitanæ Ecclesiæ Salisburgensis fatemur, ac attestamur, omnia, quæ in presentibus literis continentur, nostro consensu erecta, proindeque perpetuis venturis temporibus observanda esse, pro cuius roboratione Sigillum nostrum Capitulare appendimus, & nos prædicti Præpositus, Decanus, ac Senior hæc literas manibus propriis subscripsimus. Data Salisburgi die 15. Martii Anno 1737.

Andreas Jacobus Comes de Dietrichstein Præpositus. Ernestus L. B. de Firmian Decanus.

Franciscus Comes de Liechtenstein Senior.

Nos Leopoldus Dei gratia Archiepiscopus Salisburgensis Sanctæ Sedis Apostolicæ Legatus Natus Primas Germania &c.

§. 15. Profitemur pro Nobis, Nostrisque in Archiepiscopatu Successoribus, & notum facimus universis. Postquam honorabilis, ac dilectus nobis P. Benjamin Elbel Ordinis Minorum S. Francisci Recollectorum Provincie Argentinensis Provincialis suo, & ejusdem Provincie nomine, nec non totus ejusdem S. Ordinis Conventus hujus humiliter supplicando Nobis exposuerunt, qualiter dilecta, & fidelis Nobis Anna Theresia Glickin nata Laimprucherin, Christophori Michaelis Glick Cameræ nostræ Aulicæ quondam Secretarii relicta Vidua, Missiones Apostolicas a nobis ad penitus eliminandam hæresim intra montana deputatas immortalitate donatura, in specie autem, ne missio ex nonnullis præfati Ordinis, & Conventus Sacerdotibus iam ad initium Anni 1732 erecta, aliquando collaberetur, sed ad futura etiam tempora in perpetuo vigore conservaretur, pro ejus fundatione Capitale, quod

Consensus Capituli Salisburgensis.

Fundatio Missionis Ordinis Minorum Recollectorum in montanis.

quoddam 12600. florenos ad effectum approbationis nostrae ea cautela, modo, ac reservatione deputaverit, ut si quocumque tempore contingeret, Patres ejusdem Conventus, ac Provinciae antedictam Missionem non amplius habere obeundam, praememoratum Capitale a loco detentionis suae relevatum, una cum refusione expensarum in erectione Domus Missionarie factarum, alteri cuidam Missioni, Hospitio, vel Fabricae religiose intra, vel extra Archidiecepsim nostram pro libito, & ad placitum Provincialis, seu Superiorum supradictae Argentinensis, seu Superioris Germaniae Provinciae illo tempore Praesidentium impendi, alia vero ratione nec posset, nec deberet applicari. Cui intentioni conformiter P. Provincialis, & Conventus praedicti Nobis ulterius humillime supplicarunt quatenus a Nobis, seu Ordinario, ac Principe territoriali fundatio, & dispositio huiusmodi ratificaretur, & confirmaretur, ac demum principali Sigillo Nostro roboraretur. Quem in finem praenominatae Glichia sub data 16. Novembris novissime elapsi anni 1735. rite confectas, ac legitime expeditas Fundationis literas in originali nobis praesentarunt, de verbo ad verbum hoc tenore sonantes.

In Nomine Sanctissima Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus Sancti.

Instrumenti d. Fundationis facte a Theres. Glick.

§. 16. Ego infranominata virtute hujus publici Instrumenti profiteor, ac contestor, quod posteaquam attenta consideratione, perpensi multiplices fructus, ex Missionibus sapientissima ordinatione celsissimi, ac Rmi Regnantis D. D. Leopoldi Archiepiscopi Salisburgensis &c. Domini, ac Principis mei clementissimi intra montana erectis Universe Ecclesiae Catholicae accrescentes, eisdem aliqua ex parte cogitaverim perpetuare. Quem in finem oculos mentis meae conjeci in RR. PP. Franciscanos hic Salisburgi sic dictae Argentinensis, seu Superioris Alemaniae Provinciae, reflectendo, quod non solum pro moderno, quo per binos Patres indefesso fervore, magnoque Romanae Religionis incremento Missionem in Binzgavia notabili jam tempore obierunt, sed insuper ab immemorabili tempore singulis annis per Quadragesimam ex causa incidentis Confectionis Paschalis similiter per duos Patres Ordinae Missioni cum laude, & fructu inservierint. Ut igitur Sacra Missio pro nunc durans praefatorum PP. Franciscanorum dicti Conventus nullo unquam tempore collabatur, sed in perpetuo flore, & vigore, etiam futura aetate perseverent, eandem pro tenuitate virium mearum sum spe clementissimae approbationis celsissimi Principis, ac Domini mei clementissimi &c. sequenti modo fundare constitui.

Quandoquidem praememorati Patres Franciscani vi suae regulae, & statutorum omnis proprietatis, ac reddituum sunt incapaces, ideoque consilio, dono, & relinquo Deo tanquam Patri universali,

ejusque immaculatae Sponsae S. R. E., velut Matri Fidelium Universali de bonis, ac possessionibus mihi caelitus impertitis duodecies mille & sexcentos Florenos, id est 12600. Flor. partim ad manum actu existentem, partim in Domo partis transpontanae ad auream Crucem dicta hodie dum in bonis Domini Andree Ottmann Civis, & Mercatoris Salisburgensis existente, censui expositos, cum hac tamen conditione, ac reservatione expressa, ut ex ante dicto Capitali equidem bis mille Floreni illico in Fabricam Domus, & Cappelle Missionariae loco quodam competente, commutari valeant, reliqua vero summa omni tempore ad censum quinque pro centum maneat exposita, cujus pensionis censualis dimidium ad tempus meae vitae Patribus Franciscanis Missionariis pro tempore existentibus in sustentationem, sub ratione pure Eleemosynae modo meliore, quo sunt ejus capaces, cedat, altera medietas vero mihi etiam num pro necessitatibus meis serviat, attamen post obitum meum sine seruis, sive citius juxta providentiam divinae voluntatis eventurum, totum Capitale una cum pleno censu ad conservationem dictae Missionis deputatum sit, & esse debeat. In omnem eventum autem, quo contra spem meam quocumque tempore futuro mutatio aliqua circa sepe dictam Sacram Missionem obtingeret, & PP. Franciscani praememorati Conventus, ac Provinciae eandem obire non amplius permetterentur, dispenso proprio motu, & instinctu (ex causa spiritualium beneficiorum, quae a saepe laudato Ordine S. Francisci in singulare animae meae solatium accepi, alioque modo compensare non valui) ut ex tunc totum Capitale, ubicumque eo tempore reperirentur, relevatum, una cum refusione expensarum pro erectione Domus Missionariae factarum, alteri cuidam Missioni, Hospitio, vel Fabricae Religiose intra, vel extra Salisburgensem Provinciam pro libito, & ad placitum P. Provincialis, seu Superioris PP. Franciscanorum supranominatae Argentinensis, seu Superioris Germaniae Provinciae eo tempore existentis, & non aliter applicari debeat, vel possit.

Ut autem haec mea intentio, fundatio, & unice ad augmentum divini honoris colligans dispositio scopum suum exoptatum ex nunc usque in perpetua saecula inviolabiliter attingat, hinc pro quolibet tempore regnaturum Principem territorialem, ac Dominum Clementissimum harum vigore tanquam illius executorem, confirmatorem, ac Protectorem humillissime invoco, atque exoro, quatenus haec causa Dei nullo non tempore potentissime suffulta sit, & permaneat.

In cuius seriem, & irrevocabilis voluntatis meae testimonium, ac firmitatem, has literas propria manu subscripsi, & meo sigillo munivi, & duos testes pro simultanea expeditione studiose rogavi. Actum Salisburgi in aedibus Wengerianis ex adverso Ecclesiae quondam Parochialis sitis in mea

mea habitatione supra tres Scalas, a tempore salutiferae Nativitatis Christi die 16. Novembris anno 1735. L. S. Anna Theresia Glickin nata Laimprucherin.

T. S. Josephus Wilhelmus a Kaslern S. Celli, Consiliarius Aulicus, & Civitatis Syndicus nomine Procuratoris.

T. S. Michael Wenger, Consul testis rogatus.

T. S. Ignatius Christophorus Mezgec Senator testis.

Consensus Capituli Monasterii Burani super fundatione Missionis in Binzgaja.

§. 17. Praeterea praedicti Provincialis, & Conventus Nobis humillime exposuerunt, qualiter venerabilis, dilectus, & fidelis Consiliarius noster Ecclesiasticus, Marting Abbas Michael Burani, necnon Prior, & Conventus ibidem, consensum ab eis ratione domini directi debite expetitur sub certis, honestisque conditionibus praestiterint, ad intentam Domum Missionis in quodam fundo per nostrum dilectum & fidelem Antonium Josephum Placidum Trauner Hundsdorffii Praefecturae nostrae Taxenbaccensis benevole oblato edificandam, uti similiter Patentes desuper expeditae, & Nobis in antigrafo fide digno exhibitae ostendunt tenoris sequentis.

§. 18. Nos Martinus Dei gratia Abbas Venerabilis Ecclesiae & Monasterii Michael Burae Ordinis Sancti Patris Benedicti in Archidiecepsi Salisburgensi situati: P. Joannes Baptista Aichhamer p. t. Prior una cum toto Conventu ibidem; harum virtute pro Nobis, nostris Successoribus, & Ecclesia, publice notum facimus Universis, quorum interest, & quibus scire expedit, qualiter multum R. P. Benjamin p. t. Minister Provincialis Erarum Minorum Recollectorum Superioris Alemaniae supplicii libello Nobis exposuerit, qua ratione celsissimo, ac Reverendissimo Principi Domino, Domino Nostro Clementissimo placuerit, ad prosequendam & augendam Missionem in Binzgaja ipsius RR. PP. Franciscanis regularem Domum, & Cappellam in eodem Districtu, ubi locum necessitatibus suis accommodum invenerint, ibidemque fundum obtinerent, erigendam concedere. Cum itaque, prout accepimus, competens fundus a nostro, nostrisque Monasterii emphyteuta Antonio Josepho Placido Frauner affectuose oblatus fuerit, & solus consensus ex parte Domini directi adhuc desideretur. Nos opus laudabilissimum nullatenus retardare, multo minus impedire, sed quantum ex Nobis est omni via promovere intendentes hujus vigore impertimur consensum nostrum in optima forma, qua conformiter statutis nostris Provincialibus impertiri potest absque praesenti impositione cujusvis Canonis, vel aliarum emphyteutarum praestationum, quas, sicut ipsum dominium directum, & cetera iura Nobis (casu, quo haec Sacra Missio citius, vel serius extingueretur, & forte necessaria, amplius non foret, ac per consequens haec domus cum pertinentiis ad alias, quam similibus Sacri Ordinis, personas devolveretur; aut quocumque demum modo Traunerianis possessoribus ibidem, sicut aequi-

Bull. Rom. Tom. XIV.

tati convenit, ante omnes alios redhiberetur) reservata volumus. Quem in finem hunc Domini directi consensum cum nostris Abbatibus, & Conventus insignibus (attamen sine praedictio) expediri, ac propriis manibus subscriptum extradi fecimus. Actum in praememorato Monasterio Michael-Burano 7. Mensis Decembris, Anni millesimi Septingentesimi trigesimali quinti.

Martinus Abbas L. S.

L. S. Joannes Baptista Aichhamer Prior, & Conventus concordat cum originali ita testor F. Cherubinus Mayr Lector Jubilatus.

§. 19. Nos itaque attendentes, quod praefata Glickiana fundatio, & donatio matura deliberatione, & spontanea voluntate facta, ad iuge incrementum, & exaltationem Sanctae Catholicae Ecclesiae cedat. Nobis autem eo acceptabilior eveniat, quo acerbiori animi sensu statim in primordio Regiminis nostri expediri debuimus, non obstante, quod Venerabiles Praedecessores nostri per duo jam saecula summo fervore allaborarint, nec curis, nec sumptibus pepercerint, ad Lutheranam, aliasque haereses, mox ab origine subingestas, penitus extirpandas, atque eliminandas, imo nonnulli eorum se opere ipso perfecisse indubitanter crediderint, nihilo tamen secius oppositum: (quod flentes dicimus): postliminio se prodidisse, dum re per orbem Imperiumque notissima, pars major nostrorum subditorum intra Alpes sub Religionis praetextu damnabilissimam contra Nos seditionem concitarunt, ac Augustanae Confectioni, aliisque sceleris, & erroribus nomen addicendo, istorum nunquam haecenus permillum exercitium prope modum vi extorquere contenderunt, fatis per hoc contestati, quam temerario, ac subdole jam ipsi eorum Proavi, Atavique perniciose illa, etiam Posteris tenaci-agglutinata simulatione, ante dictis Praedecessoribus nostris imposuerint: Quod tamen perpetuatis Inquisitionibus ne vix quidem evenire potuisset, si praesertim Pastoribus, & curatis locorum ordinariis, qui ob multiplices functiones, ex officio praestandas, a Domibus suis abesse difficulter possunt, Missionarii Coadjutores in subsidium adjuncti, & ad implorandam veram, contra extirpandam falsam Fidei Doctrinam, ex proposito fuissent destinati: in cuius eventuali intermissu Nostris quoque, Successoribus, tametsi per Nos plus, quam duo, & viginti Saeculorum millia ex nostris Ditionibus fuerint expulsa, nil nisi similibus rerum alea suo tempore foret expectanda, omni zelo, ac severitate ceteroquin frustra satisciente. Propterea praemissa sedula, & matura deliberatione, & ex nostri Pastoralis officii motu, ne insuper apud iustum, & omniscium Judicem Reclamemus, praesentatae, sed neglectae occasionis de ipsius honore, & animarum lucro promovendo supra memorati P. Provincialis, & Conventus humillimas preces, & motiva duximus admittenda, proindeque

Confirmatio fundationis, & donationis Glickianae.

Y y

preallegatam fundationem Glickianam, simul, ac ex titulo Domini directi imperitium consensum, reservatis utrinque conditionibus, ex certa scientia, auctoritate nostra ordinaria, & ut Princeps Terræ non solum ratificavimus, & confirmavimus, sed insuper ulterioribus eorum supplicationibus inclinati eadem auctoritate concessimus, indulgimus, quatenus Hunddorffii Cappella in Prefectura nostra Saxenbacensi sita, ac prænominato Trauner jure hæreditario propria SS. Trinitati Sacra (cum, ut præfertur, aliunde parum convenienter situata, angusta, vetus, & incommoda, easque ipse Patronus attestato Nobis in scriptis sub 22. Decembris 1735. exhibito consensit) sine obstaculo destruantur, & alia in ejus vicem loco vicino erigatur, quæ novæ Domus Missionis ad usum PP. Missionariorum annexa ad retinendam veteris memoriam honoribus ejusdem SS. Trinitatis, ac simul S. Antonii de Padua Thaumaturgi dedicatur: demum ex variis oblationibus 1500. Flor. circiter pro veteri Sacello congesta dos: (demptis 500. Flor. quos Ecclesiæ Vicariali ad B. V. in Brugg abique opere attribuimus, & incorporamus) ad Fabricam novæ adis Missionariæ (quam iidem Patres posthac factam testam, & in reliquo decenter instructam conservare debeant): applicari, & converti possit.

Conditioes per Missionarios adimplenda.

Quæ omnia, quatenus opus est, harum vigore motu proprio, & cum certa scientia denuo ratificamus, confirmamus, ac respective indulgemus, mandantes, ut iidem quoad omnia, & singula puncta firmiter adhæreatur simul tamen caventes, ut vicissim præmemorati PP. Ordinis Minorum S. Francisci Recollectorum dictæ Argentinensis, seu Alemanniæ Provincia subjectas conditiones ex sua parte punctualiter impleant, & observent, scilicet:

§. 20. Primo Apostolicum Missionis officium intra terminos jam diu sibi præfixos, videlicet in Præfecturis, ac Satrapiis Zella Pinzgoviensis, Taxenbaci, & Rourii, qua late in temporalibus se extendunt, obire teneantur, ultra illos vero citra nostrum, & nostrorum in Archiepiscopatu Successorum præfictum, & consensum nullatenus progredi eis liceat.

Secundo. Domum Missionis una cum Sacello, vel Ecclesiæ (cui de omni necessaria suppellectili, luminibus, & vino ad Sacrificium providere eidem incumbit) conformiter fundationi Glickianæ, in amplitudine moderata pro subsistentia Missionariorum quanto citius, & talem in formam extrui procurent, ut illud ædificium pro quatuor Patrum Missionariorum, & unius Fratris Laici incolatu accomodum, ac præterea duabus Cameris pro Provinciali, vel Hospitibus, necnon Refectorio, culina, cella vinaria, & penuria, una cum Bibliotheca, pomario, & ligni, juxta ideam præsentatam, competentè instructum, amplius, nec ipsum, nec Ecclesiæ, possit dilatari, siquidem.

Tertio. Numerus Patrum Missionariorum cum Superiore (cujus institutio

P. Provinciali competat) inclusive quovis tempore indispensabiliter in quatuor Personis consistat, ita, ut iste numerus absque nostro, vel nostrorum Successorum præfictu, & licentia, insuper expresso consensu nostri venerabilis Capituli Metropolitanici perpetuis temporibus nullatenus imminui, multo minus augeri valeat. Qui proinde.

Quarto. Nobis, nostrisque in Archiepiscopatu Successoribus singuli a Patre Provinciali nominandi, ac præsentandi sunt; facta autem semel approbatione nostra, non aliter ab eo poterunt revocari, & mutari, quin saltem unus ipsorum, qui munus Missionis ad biennium obierit, sitque in eo sufficienter exercitatus, & expertus, ac per consequens Neoadventantium instructioni, & manuuctioni aptus, in Hospitio Missionis quovis tempore persistat, & inveniatur propterea.

Quinto. Supradicti PP. Missionarii ab instanti susceptionis, & ablegationis suæ, necnon durante Missionis officio in præfignatis dynastiis, solummodo Nobis, & nostris in Archiepiscopatu Successoribus immediate subiecti existant: Sic tamen, ut tam eorum personalis, quam localis, seu Domus ipsiusmet directio, sicut, & consueta visitatio P. Provinciali reservata, & illa permanent. Quod autem ipsum Missionis officium concernit, iidem.

Sexto. Missionarii proprio, ut decet, animarum zelo assati summo, ac irremissibili studio committentur turmatim, vel in casu exigentiæ etiam obliatim circumendo commissum sibi munus Apostolicum ita peragant, ut instructione, hortatu, & excitatione continua ignorantes, quæ sunt Fidei Catholice, edoceantur, accipites in viam regiam deducantur, infirmi confortentur, fortes autem ad perfectionem Christianam magis, magisque accendantur. Insuper singulari studio explorare satagant, quales nam Personæ sui districtus de Fide suspectæ evaserint, & quinam earum Receptatores, Fautores, quocumque modo Auxiliatores existant. Ubi nam locorum libri hæretici, vel ex antiquo reservati, vel de novo introduci habeantur. Item quis istorum, vel alterius eorum notitiam, aut partem habeat. Cujusmodi pestilentes homines, ipsorumque Fautores, vel Nobis, vel nostræ in causa Religionis erectæ secretæ deputationi tempestive denunciandi, & quæcumque ad formandum, vel sciendum Processum hæreticalem necessaria, ferventius assumenda, & producenda sunt. Insuper verbum Dei, & Doctrinam Catholico-Christianam per omnia loca sui districtus (sine impedimento tamen officiorum Ecclesiasticorum Ordinariorum) Populo etiam ex Cathedra articulate, & intelligibiliter proponant; Confessiones excipiant Sacram Communionem tamen in sola Ecclesiæ suæ Missionis, extra illam vero non nisi de licentia Pastoris Ordinarii distribuant. Paschali ibidem tempore omnes sui districtus subditos pro Confessione, ac Communionem ad Ordinarios suos Curatos indistincte, & sine exceptione remittant. Præterea

terea Infirmos sæpius invitant, ac solatio reficiant, Moribundis quoque (absque usurpatione tamen juris Parochialis, vel Sepultura) Christiana charitate assistant, ac demum in his, aliisque articulis Apostolicum Missionis munus secundum essentiam, & proprietatem suam indefesse adimpleant. Præsertim vero vigilanti oculo, & accurata attentione hinc inde observent actiones subditorum non minus, ac eorum quibus illi a Nobis sunt concediti; & siquidem nonnullos defectus, vel erroresprehenderint, qui Religioni quoquo modo seu mediate, seu immediate contrariantur, defectuosos paterna admonitione retrahant, hac vero non proficiente Nobis, vel nostris Successoribus absque acceptione personarum ad proprias manus transferant. Quemadmodum e contra nostrum Decanum Ruralem ad id instrui curabimus quatenus similiter invigilet, & jugiter observet, an ex parte sepe dictorum PP. Missionariorum, in junctum Missionis officium integre impleatur, & in hoc fundationis instrumento præscriptæ conditiones punctatim operè exhibeantur; Utque is contrario præter spem emergente, quoties necessarium videbitur, P. Superiorem eo tempore existentem desuper commoneat, hocque benigna monitione nihil proficiente notatos defectus Nobis, nostrisque Successoribus debite denunciet, ceteroquin tam ipse Decanus, alique nostri illic locorum expositi Curati, quam iidem Missionarii nullo unquam tempore obliviscantur, mutua intelligentia, & bona harmonia unus alterum juvare, & communi zelo Religionis incrementum cum larga usura animarum promovere. Quem in finem.

Septimo. Iterato mentionatus P. Provincialis singulari cura providebit ad grave hoc Missionis officium viros exquiritæ pietatis, Doctrinæ, & prudentiæ feligere, ac Nobis præsentare, qui simul cordati, spectabiles, seriosi, Religiositate pleni, ac ita bene imbuti, ut prudentiam serpentinam cum columbina simplicitate optime, scientes adunare, imposito muneri omnino pares existant. Insuper in Polemicis versati eorum ad minus, quæ ad inquisitionem hæreticæ pravitatis exiguntur, satis experti; præsertim etiam a Sede Apostolica, seu a Congregatione de Propaganda Fide potestate Missionarii Apostolici provisi, ac denique patriotici idiomatis bene periti inveniantur. Porro.

Octavo, ut iidem Missionarii subditis nulla ratione obstricti, nec aliis onerosi, consequenter apud omnes in eo majori veneratione, ac respectu habeantur, elemosynam pro lectione Sacrorum nullam unquam recipiant, similiter ab omni collectura (quæ tamen Collectoris alias ibidem consuetis in violata permaneat) intra præfixos suæ Missionis fines abstinebunt, illis contenti, quæ per homines affectionatos irrequisite ex proprio motu, & voluntate ad portam afferentur: Quod tamen ad eorum locorum curatos non extendendum, casu, quo illi Missionariis Sacra-

Bull. Rom. Tom. XIV.

quædam legenda relinquere, & propterea S. Elemosynam porrigere voluerint. Nono. Prohibetur iisdem Missionariis, ne citra facultatem a nobis expetitam (quam tamen nisi ex gravi consideratione haud facile denegabimus) extra assignatum districtum quavis ex causa se conferant, vel absentent. E contrario.

Decimo. Liberum sit Nobis, ac nostris in Archiepiscopatu Successoribus quavis vice alios cujuscumque Ordinis Missionarios Zellam, Taxenbacum, & in Rauris, & vicissim eisdem PP. Minores Ordinis S. Francisci ad alias Præfecturas, & Satrapias nostræ Archiepiscopalis, verumtamen hoc, illudve ad tempus solummodo, non vero in perpetuum, in causa Missionis destinare. Quemadmodum etiam.

Undecimo. In omnem eventum, quo super vero intellectu unius, alteriusve puncti, vel ordinationis ex præfatis quocumque tempore futuro dubietas, vel error exurgeret, eidem judicalem interpretationem dare: Nobis, nostrisque in Archiepiscopatu Successoribus omnimode reservatum volumus.

Pro conclusione demum nobis sæpe dictus P. Provincialis una cum Definitoribus omnia, & singula ex prædictis inviolabiliter quovis tempore servare, nomine totius Superioris Germanicæ Provincia, necnon Conventus hujatis sponndit, & obtestatus est: & quod nec ab ipso, nec aliis Superioribus præfate Provincia, nec ab eorum Successoribus sub quocumque excogitatu, prætextu, & forma contraveniendum sit legitime expeditas Reversales in proxime futuro Capitulo intermedio nobis submississime extrudere promissit.

Cuncta fideliter, & absque furo. In cuius rei testimonium ex hujus fundationis, respective confirmationis, & Indulti causa præfens libellus confectus, & ad majorem securitatem a nobis, & nostro Venerabili Capitulo Metropolitanò propriarum manuum subscriptionibus, & appensis sigillis expeditus, sub initium nominato P. Provinciali extraditus fuit.

Adum 17. Mensis Februarii anno post Christi Redemptoris Nostri salutiferam Nativitatem millesimo septingentesimo trigesimo sexto.

LEOPOLDUS.

§. 21. Nos Andreas Jacobus Comes de Dietrichstein Præpositus, Leopoldus Ernestus L. B. de Firmian Decanus, Franciscus Maximilianus Comes de Liechtenstein Senior, & Universum Capitulum Metropolitanum Ecclesiæ Salisburgensis profitemur pro nobis, ac nostris Successoribus, quod omnia, quæ in his literis Fundationis continentur, cum nostra scientia, & consensu facta sint, sicque in perpetua sæcula observabuntur.

In cuius Confirmationem has literas Fundationis modo consueto subscripsimus, & sigillum nostrum majus fecimus appendi. Actum Salisburgi 1. Mensis Martii Anno millesimo septingentesimo trigesimo sexto. Andreas Jacobus de Dietrichstein Præpositus.

Accedit Capituli Salisburgensis consensus.

Y y 2 Leo-

Præd. omnia a Superioribus Ordinibus acceptata Vapæ præsentantur pro obedientia confirmatione.

Pontifex examina in d. p. o. p. n. t. s. Congregationi de Propaganda Fide.

D. Congregatio approbata censet.

Papa confirmat.

Missionariis sic designatis & designandis aliorum Missionariorum prærogativas & privilegia elargitur.

Leopoldus Ernestus L. B. de Firmian Decanus.

Franciscus Maximilianus Comes de Liechtenstein senior.

§. 22. Præsertim autem Capitula, Regulas, & Leges postquam præfatus Leopoldus Archiepiscopus condidisset, & ad dilectos filios modernos memoratorum Ordinum, & Institutum respective Superiores, ut admitterent, exciperent, & accepta haberent, proposuisset, iidem moderni Superiores, ea, qua par erat, animorum consensione, & obedientia jam accepta, & rata habuerunt, ad nos etiam transmissit, suppliciter rogans, ut approbare, & confirmare dignaremur. Nos vero illa, ut quoad omnes partes prius accuratissime examinarentur, ad Congregationem Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum remisimus.

§. 23. Porro Congregatio prædicta tam institutione Missionum prædictarum, quam Capitulis, Regulis, & Legibus huiusmodi maturo examine perpensis ad nos retulit, æquum esse, ut piis eiusdem Leopoldi Archiepiscopi votis, & precibus obsecundantes, præfata omnia tanquam proficua, & salutaria approbaremus, & Apostolicæ auctoritatis nostræ munimine roboraremus.

§. 24. Nos itaque eundem Leopoldum Archiepiscopum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinanti, de eiusdem Congregationis Cardinalium consilio non solum Institutionem Missionum ab ipso Leopoldo Archiepiscopo susceptam, statutamque, vero etiam præsertim Capitula, Regulas, & Leges, ac signanter omnes, & singulas assignationes ab eodem Leopoldo Archiepiscopo pro Missionum huiusmodi mantentione factas, ut præfertur, & ab Archiepiscopis Salisburgensibus Successoribus suis perpetuis futuris temporibus omnino servandas auctoritate Apostolica tenore præsentium, perpetuo approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiciamus, omnesque, & singulos Juris, & facti, ac solemnitatum quarumcumque defectus, si qui desuper in illis quomodolibet intervenerint, dicta auctoritate supplemus, & sanamus.

§. 25. Insuper Missionarios tam ab ipso Leopoldo Archiepiscopo jam designatos, & nominatos, quam sive ab ipso etiam, sive suis successoribus in posterum juxta Capitula, Regulas, & Leges præsertim designandos, & nominandos semper Apostolicos Missionarios dici, vocari, & esse eadem auctoritate decernimus, & declaramus, eisdemque Missionariis, ut omnibus,

& singulis privilegiis, honoribus, prærogativis, & exemptionibus, quibus huiusmodi Apostolici Missionarii tam de Jure, usu, & consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, pari modo, uti, frui, & gaudere libere, & licite possint, & valeant auctoritate prædicta concedimus, & indulgemus.

§. 26. Volumus quoque, ut Missionarii sic, ut præmittitur, instituti, ac deinceps in prædicta Diocesi instituendi, tam eidem Leopoldo moderno, quam pro tempore existentibus Archiepiscopis Salisburgensibus, & directioni in iis, quæ ad exercitium Missionis pertinent, subiacere, eisque omnino parere debeant, ac necessarias facultates ad Missiones prædictas exercendas ab eisdem Archiepiscopis, juxta eis tributam, & deinceps singulis quinquenniis per organum memoratæ Congregationis Cardinalium removendam mediante formula tertia præfatarum facultatum, auctoritatem in totum, vel in partem, sicut eisdem Archiepiscopis magis in Domino expedire videbitur, recipient, servata semper eorumdem Archiepiscoporum tam circa facultates, quam circa loca, & tempus eisdem exercendi moderatione, nullo vero modo extra fines suæ respective Missionis iis uti queant, ad quam donec, & quousque pervenerint nulla prorsus exemptione, & privilegio gaudere possint.

§. 27. Hortamur demum paterne simul, & efficaciter eosdem Archiepiscopos, ne graventur quolibet quinquennio, nempe cum renovari sibi prædictæ formulæ tertiæ facultatum postulabunt, Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem per organum eiusdem Congregationis de fructu, & progressu, dictarum Missionum certiorare, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§. 28. Decernentes easdem præfatas literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandoque spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, subla-ta eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 29. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Civitatis, & Diocesis Salisburgensibus, ac quorumcumque Ordinum, aliisque quibusvis etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contra-

Es directioni, & Superioritati Archiep. subdit.

Archiepiscopus omni injungit certorem reddendi d. Sac. Congregationem de progressu Missionum.

Præfatum Literarum firmas.

Derogatio contrariis.

trarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanfuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majoris sub Annulo Piscatoris die 12. Januarii 1739. Pont. nostri Anno IX.

Die 12. Janu. 1739. An. IX.

CCXLVIII.

Facultas moderno, & pro tempore existenti Collegii Italo-Græci Corsinim-nuncupati Reçtori, ut illius Alumnos, & Convictores ad Lauream Doctoralem in Philosophiâ, & Sacræ Theologiæ studiis promoveat.

CLEMENS PP. XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procerum.

Præclara Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de Græca Ecclesia cum summa Apostolicæ caritatis laude insignita meritum, qui ad nationem Græcorum tot Sanctis Patribus pietate, ac doctrina illustribus inclytam semper, & ubique in pristina Catholica fidei unitate, sanæque doctrinæ confessione retinendam, confirmandamque eximii beneficiis cumulare, patrocinio fovere, opibus juvare, & omnibus Pontificiæ benignitatis liberalitatis officis allicere, & quodammodo obligare adlaborarunt, studia recolentes Nos, operam quoque nostram, sollicitudinemque, quantum cum Domino possumus, ad eisdem Græcæ Nationis commodum, utilitatem, ac decus, & ornamentum desiderari haud passi sumus, nec imposterum patiemur.

Clemens Collegium pro Italo-Græcis constituit, illudque Corsinum vocat.

§. 1. Primum quidem pro dilectis filiis Italo-Græcis dictis, qui ex Patriis regionibus propter Catholica Fidei causam jam dudum profugi in Italiam advenientes in aliquot Neapolitani Regni Provinciis, & Diocesisibus domicilia fixerunt, ibique commorantes Patrios Sacros Ritus, Cœremonias, ceteraque non solum perpetua venerandæ antiquitatis traditione integerrime custodita, verum etiam iteratis Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis Oraculis approbata, & confirmata sanctissime servare dignoscuntur, in Calabria mediterranea, ubi maxima illorum multitudo, ac numerus reperitur, Seminarium, seu Collegium de gentilitio nostro nomine Corsinum dictum excitandum, instruendumque curavimus.

Eique dat in Antistitem simul, & directorem Archiep. Beroensem.

§. 2. Deinde vero præter Rectorem, aliosque Magistros, & Ministros, qui sedulam Alumnorum, Convictorumque in prædicto Seminario, seu Collegio pro tempore existentium curam gerunt, Venerabilem etiam Fratrem Samuelem Beroensem Archiepiscopum, qui hujusce rei instituendæ, consensuque ab initio Nobis auctor ex antedicta Natione Italo-Græca

oriundus, perfectam omnium ejusdem gentis rerum notitiam doctus ipso instrueret, sacris initiaret, ceteraque ad Divinum cultum adaugendum Catholice Fidei stabilitum, & animarum salutem procurandam opportuna, & necessaria obiret, eidem Seminario, & Collegio Antistitem, & supremum moderatorem præfecimus, constituimus, & deputavimus, & alias prout in nostris sub Plumbo desuper expeditis literis uberius continetur.

§. 3. Cum autem, sicut pro parte moderni Reçtoris Collegii prædicti Nobis nuper expositum fuit, Alumnos, Convictoresque, qui in eodem Seminario, seu Collegio commorantes, Philosophiæ, ac Theologiæ operam navant, inde exacto Philosophiæ, ac Theologiæ, ut præfertur curriculo exeuntes Lauream eorumdem scientiarum, quas inibi ediscunt, in aliis publicis universitatibus laureandi facultatem, auctoritatemque habentibus, in quibus Alumnos, Convictoresque prædicti nomine scientias hujusmodi percipere possunt, nullo pacto consequi valeant: Nobis propterea eorumdem nomine supplicatum est, ut Alumnis, Convictoribusque tam de præfati, quam in futurum in eodem Collegio existentibus eandem Apostolicæ benignitatis gratiam, quam Alumnis, Convictoribusque aliorum Pontificiorum Collegiorum, ac præsertim hujus Almæ Urbis nostræ Romani Pontifices Prædecessores nostri concesserunt, de Apostolicæ potestatis plenitudine elargiri dignaremur.

Clementi supplicatum ut Reçtori facultatem concederet Alumnis, & Convictoribus d. Lauream Doctoralem.

Benigne sua Pontificis.

§. 4. Nos igitur volentes ipsis Alumnis, seu Convictoribus quibuscumque, & cujusvis Nationis, & Ritus existentibus gratiam facere specialem, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum præsentium, dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinanti, moderno, & pro tempore existentibus dicti Seminarii Italo-Græcis Corsini Reçtoribus, ut ipsi de cetero de consensu, & auctoritate præfati, & pro tempore existentis Antistitis hujusmodi, ut præmittitur, moderatoris, & Præsidentis, Alumnos, seu Convictores, qui Philosophiæ, & Sacræ Theologiæ cursum in eodem Seminario integrum per sex saltem annos compleverint, atque in ultimo biennio etiam lectioni Sacræ Scripturæ per horam quotidie vacaverint, necnon omnibus qualitatibus ad id requisitis præditi fuerint, ad Doctoralem tam in Philosophiæ, quam Sacræ Theologiæ studiis Lauream auctoritate nostra Apostolica, promovendi, illisque solita laureæ hujusmodi insignia conferendi.

§. 5. Utque sic promoti, & declarati omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, præsistentiis, gratiis, & indultis, quibus alii, qui Lauream hujusmodi in qua-

Privilegia d. Laureæ cõcedit.